

cipibus: verum illegitimiè non mixtam, sed confusam habere istam potestatem.

82. Et constat ex scripturis non licuisse ullis Episcopis accipere à Regibus ullum aliquod tempore dominium in urbes & provincias, multò minus, sibi ipsis usurpare, minimè omnium bello armisq; vendicare: sed potestatem illam omnem politico magistratui fuisse relinquendam.

83. Etiam si igitur tenent potestatem & dominium tempore jure quodam humano: tamen veri Episcopi non sunt, & Episcopale nihil, praeter solum nomen & titulum, retinent.

84. Et tantò quidem intolerabilior est hæc Episcoporum licentia & dominandi libido, dum præter temporalem illam potestatem mixtam & absolutam; in spiritualibus etiam jus sibi arrogent, instituendi ceremonias in Ecclesia, condendi leges, que obligent in conscientia: Ac jurisdictionem hanc verè coactivam esse dictant.

85. Quæ prosectori opinio grauissimis laborat incommodis: Nam i. opprimitur doctrina de fide & justitia fidei, ac gloria meriti Christi læditur. Dum enim in immensum crevit constitutionum istiusmodi congeries: res ipsa docuit, magis magisq; obscuratam, & tandem tantum non prouersus extinctam esse doctrinam de Christo, ejusdemq; meritis.

Deinde